



**Conspectvs Laborvm : Qvibvs Professores Academiae Regiae Fridericianae Per
Semestre Aestivvm Anni MDCCXXXVI Occvpabvntvr**

Halae Magdeburgicae: Hendel, 1746

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn828819467>

Druck Freier  Zugang





Contenta :

1. Joh. Georg. Hagelgans, Orbis Literatus academicus Germanico-Europaeus
cum sigillis academiarum, earundemq; facultatum
1737.
2. Varia academica, academias Francofurt. ad O. 2. Goettingensem
3. Kilon. 4. Tubingens. 5. Regiomont. 6. Gryphiswald. et
7. Halensem concernentia.
3. Zugflung von der Inauguration und Einweisung ins Gymnasium Erne-
stini zu Zilberberghausen, 1714. aliq; plura.
et quaedam alia pp.

Te

[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]

et unquam alia

CONSPECTVS LABORVM

QVIBVS
PROFESSORES
ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE
PER SEMESTRE AESTIVVM

ANNI clō Idcc xxxvī.
OCCVPABVNTVR

PRO-RECTORE

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO,

SERENISS. AC POTENTISS. BORVSS. REG. CONSILIARIO INTIMO,
MEDICIN. ET PHYS. PROF. PVBL. ORDINAR. S. R. I. NOBILI,
ACADEM. IMPERIAL. NAT. CVRIOSOR. PRAESIDE.



LECTIONES

PRO-RECTORIS, DIRECTORIS
ET CANCELLARII.



ANDREAS ELIAS BÜCHNER, h. t. Pro-Rector, publice commentabitur in *Aphorismos* Celeberr. BOERHAAVII, theoreticam inprimis cognitionem morborum perspicue demonstraturus. Priuato studio hora VII. matut. *specialem* explanabit *Pathologiam*, genuinae ac verae morborum historiae superstructam; hora VIII. *fundamenta Therapiae generalis* tradet; hora X. vero *simplicium*, ex tribus Naturae regnis delumtorum, *facultates* exponet, methodumque iisdem, in compositionibus maxime, rite vtendi, sincere indicabit. Initium horum laborum, finitis nundinis, e valuis publicis significabitur.

IUSTVS HENNINGIVS BOEHMER, IC. publice commentabitur in tractatum, Germanico scriptum idiomate, PVFENDORFFII de *Monarchia papali*, vt eo plenius, quæ in scholis iuris canonici adlata sunt, ex antiquitatibus ipsis exponere & illustrare queat. Priuatis curis hora IX. STRVVII *Iurisprudentiam feudalem* interpretabitur, hora vero X. iuncta II. pomeridiana, scholas ad *introductionem in Digesta* aperire haud cessabit.

CHRISTIANVS L. B. DE WOLF, *Hor. 9. mat.* explicabit suum Tractatum de Deo, Anima & Mundo, ac Ente in genere: *Hor. 3. pomer.* alterum de Viribus Intellectus in veritate cognoscenda, genuinum eius vsum in omni cognitionis genere & leges veræ methodi demonstraturus. Nec deerit aliis, qui vel in Iure Naturæ, vel in Mathematicis operam eius desiderabunt.

LECTIONES THEOLOGICAE.

GOTTHILF AVGVSTVS FRANCKIVS *Iacobi Epistolam* catholicam exegeticis prælectionibus explanabit, & præterea in tractatione exegetico-ascetica epistolæ ad Galatas & consuetis *parænesibus* perget.

CHRIST.

13

CHRIST. BENEDICTVS MICHAELIS publice hora III. explanandis Mosaicis libris, Leuitico & Numeris, vacabit: priuatim vero hora IX. cursum N. Testamenti absoluturus, epistolas tum ad Ebræos tum catholicas, vna cum S. Ioannis Apocalypfi, modo sibi consueto ex ordine interpretabitur.

SIGISM. IAC. BAUMGARTEN continuabit scholas *dogmaticas, theol. moralis, exegeticas, hermeneuticas & litterarias* singulisque finitis noiarum aperiendarum tempus mature significabit, quas illustrationi librorum *symbolicorum* regulisque *homileticis* destinauit.

BENED. GOTTLÖB CLAVSWITZ b. c. D. publice h. IX. ad vberiore Theologiae federalis & typicae dilucidationem explicabit *Epistolam ad Hebræos*. Priuatim h. X. *fundamenta theologiae dogmaticae* in nexu suo exponet. H. III. in Collegio Catechetico catechizandi methodum cum praxi edocebit. Diebus Mercurii h. I. in *disputatorio exercitio* perget: nec deerit desiderio eorum, qui *priuatissimam eius operam* in *institutionibus homileticis* expetunt. Continuabit etiam *publicas disputationes de fide in Iesum Christum*.

IO. HENR. CALLENBERG publice hora II-III. dierum lunæ & martis priorem ad *Corinthios* epistolam interpretabitur; porro hora I-II. dierum iouis & veneris scholam habebit *isagogicam ad studium theologicum*, qua singulas eius partes recte excolendi ratio, cum librorum, illis inseruentium, notitia, tradetur. *Anti-udaicas* quoque exercitationes continuabit.

IOANNES GEORGIUS KNAPP h. 7-8. matutina *historiam ecclesiasticam N. T.* vsque ad nostra tempora persequetur. Deinde *scholas* quoque *exegetico-homileticas* habebit; horam, de qua nondum certo constituit, in tempore significaturus. Nec deerit illis qui d. iouis h. 5. *exercitationem disputatoriam* se duce suscipere volent.

I V R I D I C A E.

IAC. GABR. WOLF publice hora VIII. matutina *institutiones suas iurisprudentiae naturalis, tum priuatae, tum publicae*, in bibliopolio Lüderwaldino prostantes, *quatuor per hebdomadem diebus*, interpretabitur. Priuatim vero hora X. HEINECCII *elementa institutionum iuris ciuilibus*; hora XI. V. C. IO. IAC. MOSERI a *Silbeck* *compendium iuris publici*, cuius quinta anno proxime praeterlapso prodiit editio emendatior; ac denique hora III. *elementa sua iuris feudorum, tum prouincialium, tum Imperialium*, quae in bibliopolio orphanotrophi prostant, *commentationibus suis* curatius illustrabit. *Initium*, finitis nundinis Lipsiensibus, die 16. mensis Maii, A. S. N. factururus.

CAR. GOTTLIEB KNORRE omni fide & industria *Institutiones Iustinianae* ad ductum *Elementorum B. HEINECCII* Hora XI. *Pandectas Ludouicianas* vero Hora X. & II. interpretabitur. Publice Hora III. enarrabit *Historiam Iuris Germanici, Canonici & Feudalis*, quam propediem typis describi curabit. *Initium* factururus finitis nundinis Lipsiensibus.

IO. GERARDVS SCHLITTE semestri hoc aestiuo in b. LVDOVICI *Doctrinam Pandectarum & STRVVI* *Iurisprudent. R. G. forensis*, ea, qua par est, fide & industria commentabitur, nec illis, qui Collegium *examinatorium* ad *Pandectas* expetiuere, defuturus. De horis hisce Collegiis impendendis e valuis publicis Dnn. Auditores admonebit. *Initium* B. c. D. fiet finitis nundinis Lipsiensibus, d. 16. Maii.

IO. SAMVEL FRIDERICVS BOEHMER ea, qua haecenus vsus est, methodo hora VIII. docebit *ius Criminale* secundum *compendium* a se editum, hora X. & II. Dn. PARENTIS *Pandectas*, hora XI. *prima iuris ciuilibus Elementa* secundum ordinem *Institutionum* duce B. HEINECCIO. *Initium* factururus statim post finitas nundinas Lipsiensis.

MARTINVS SCHMEIZEL *publicos labores* quibus futuro semestri occupabitur, infra dixit; Priuatim hora XI. *Iuris Publici Principia*, praeeunte V. Cl. MASCOVIO, interpretabitur; & quae doctrinae continuationem requirunt, eas ad nostram aetatem deductas propinabit; Hora III. sigillatim aget, de *Electione & Coronatione Augustissimi Imp. moderni, eiusque Capitulatione*.

IO. TOBIAS CARRACH priuatim 1) *Ius Naturae & Gentium* duce HEINECCIO praeeget hor. IX. 2) Ad EIVSDEM *Elementa Iuris Ciuilibus* ordine *Institutionum* hora XI. 3) ordine *Pandectarum* hora X. iuncta II. differentias *Iuris Romani & Germanici* ita tradet, ne auditores specie *iurisprudentiae* decepti in foris dediscere teneantur nugae doctoris. 4) *Iura Feudorum Imperii & Landsassicorum Germanica & Longobardica* hora III. exponet STRVVIO praeeunte. 5) Ad PERILLVSTR. DNI BOEH-

MERI

MERI *Institutiones Iuris Canonici* hora VIII. commentabitur. 6) Collegium *procefsuale elaboratorium* instituet hora de qua conueniet cum Dnis Auditoribus, qui vt ipsum in tempore ante collegii initium hac de re adeant humaniter rogantur. 7) loco collegii *publici* continuabit *examinatorium* Sabbathinum. Initium laborum est b. c. D. die XVI. Maii.

M E D I C A E.

MICHAEL ALBERTI Laboribus *publicis* die & hora *consuetis* solitaque constantia affectuum Fœminorum pathologico-practicam explicationem continuabit: priuato studio *Physiologiam* & *Pathologiam* a IX. ad XI. b. c. D. inchoabit; porro a II. ad III. p. m. *Therapiam generalem* planius & plenius tractabit: denique diebus Mercurii & Saturnii a X. ad XI. *Medicinam Forensis* interpretabitur.

I. IVNCKER publicis lectionibus chirurgiam rationalem, quam [ad tumores vsque] ex sanguinum partium absoluit, præmissa antecedentium necessaria repetitione, continuabit. Priuato studio fundamenta medicinæ physiologico-pathologica de nouo incipiet, therapiam autem specialem, quam ad febres vsque absoluit, prosequetur. Priuatissimo labore prouectiores in praxi clinica exercebit, & ad litteras quoque medicas, cum recta ratione conscribendas, manu ducet.

FRIDERICVS HOFFMANNVS, Priuatim hora IX. chemiam docebit atque non modo processus chemicos medico scitu necessarios instituet, sed rationalem etiam huius artis subiunget theoriam. Hora X. collegium in materiam medicam inchoabit, ita vt ea quæ in hoc collegio pertractantur auditoribus suis non modo ostendat, sed & eorum vires & vsum candide exponat. Publice hora XI. quatuor per hebdomadem diebus in physiologiam prælectiones instituet. Initium harum lectionum erit finitis instantibus nundinis Lipsiensibus.

PHILIPPVS ADOLPHVS BOEHMER publice formulas pharmaceuticas ad ductum dispensatorii Borusso-Brandenburgici explicabit, *priuato studio* physiologiam principiis physicis & anatomicis superstructam pertractabit, doctrinam de ossibus exponet, atque in R. MANNINGHAM compendium theoretico-practicum de arte obstetricandi morbisque mulierum & infantum commentabitur.

P H I L O S O P H I C A E.

CHRIST. BENEDICT. MICHAELIS hora X. fundamenta & paradigmata linguæ Ebraicæ, ad ductum Grammaticæ, quam filius superiore anno in lucem emisit, facili non minus quam solida methodo docebit. Alia hora, quam auditoribus maxime commodam fore compererit, Syriacas dabit institutiones, sua ad id vsurus Grammatica, vnumque & alterum librum ex N. Test. Syriaco (cuius exemplaria modico admodum pretio apud ipsum haberi possunt) interpretaturus: Arabicas quoque scholas, si qui cupiant, aperire paratus.

MICHAEL ALBERTI tractatione *publica* Mineralogiam & coniunctam Metallurgiam vsitata assiduitate prosequetur; illis etiam qui in arte ornate, ordinate, iudiciose & perspicue differendi capacitatem acquirere gestiunt, priuata opera manu ductio nem, vt a multis annis sœuit, suppeditabit.

IOANNES IOACHIMVS LANGE, publice hora 7. matutina Mathesin puram, h. e. Mathesin vniuersalem, arithmeticam, geometriam atque trigonometriam demonstrabit. Priuatim h. I. *Physicam dogmatico-experimentalem*, docebit, explicationi *Elementorum* suorum *philosophiæ naturalis* statim necessaria vbique experimenta iungendo. Hora 2. autem *Chemiam dogmatico-experimentalem* secundum *sciagraphiam Systematis physico-chemici theoretico-practici* a se editam explicabit, experimenta autem & operationes ad peculiare horas vespertinas remittet. Iis, qui Mathesi applicatæ aut Geometriæ practicæ vel Historiæ naturali operam dare cupiunt, inferuire studebit, si de hora vni vel alteri collegio destinanda conuenerint. Initium harum lectionum erit die XVI. Maii.

MARTINVS SCHMEIZEL publice librum suum, quem *die Academische Klugheit* inscripsit, latius explanabit; priuatim hora VIII. *Geographiam*; h. IX. *Historiam Iuris Ciu. Can. & Ecclesiastici*; h. IV. *Historiam Vniuersalem*; h. V. *Historiam Germanicam*; h. VI. *Historiam Brandenburgicam, specialem*, exponet; Singulis diebus *Lunæ, Martis & Mercurii*, h. I. *Rei Numariæ*, eademque hora, diebus *Veneris & Saturni*, *Heraldicæ* amœnitates propinabit.

DANIEL

DANIEL STRAEHLER 1) ex pura Mathesi *Arithmeticam & Geometriam* proponet; 2) *Logicam* ab ipso editam; denique 3) *dogmata Metaphysica* docebit.

D. FRIDERICVS WIDEBVRG ab VIII-IX. in MASCOVII principia Iuris Publici Imperii Germanici, a IX-X. in STRVVII introductionem ad historiam Germanici imperii, a X-XI. in PVFENDORFFII introductionem ad historiam Europae regnorum & rerum publicarum; commentabitur, ac praeterea collegium stili elegantioris selectis auditoribus aperiet. Initium lectionum erit finitis nundinis Lipsiensibus d. XVI. Maii.

THEOD. CHRISTOPH. VRSINVS, hora II-III. priorem *Cursus philosophici* partem, duce S. R. WALCHIO; hora III-IV. *Logicam*, praesente Cl. BAVMEISTERO; hora IV-V. *Metaphysicam* praesentet ad ductum thesium suarum: *Anfangs-Gründe der Philosophischen Wissenschaften überhaupt*. Nec iis deerit, qui singulis Saturni diebus, hora II-IV. *disputando* ingenii vires periclitari cupiunt.

IO. HENR. CALLENBERG scholis theologicis simul fructuosiora historiae *literariae* atque *philologiae* capita interseret; paratusque est ad impertiendam *Arabicam* linguae institutionem.

IOANNES FRIDERICVS STIEBRITZ muneri nouo, clementissime sibi demando, satisfactorius, summa fide atque industria, per instans semestre *publicis praelectionibus* explicabit *Oeconomiam* rusticam atque urbanam: qua ad finem perducta ad *Camerarium* doctrinam perget. Operam dabit, ut, qui his laboribus intererunt, mature praeparantur ad rebus suis aliorumque prospiciendum, & inseruiendum regii negotiis. *Priuatim Logicam* nec non *Metaphysicam*, ad ductum Viri Per-Illustris L. B. DE WOLF, perspicue solideque docebit. Addet denique *linguae Sanctae fundamenta*, praesente DANTZIO; subiunget *as accentuum ebraicorum* doctrinam. Neque iis deerit, qui *cursum philosophicum*, intra semestre absoluendum, GOTTSCHEDO praesente, denuo aperiendum volunt, dummodo consilii particeps in tempore factus fuerit. Horas commemoratis laboribus dicandas ex tabula publica significabit.

EXTRAORDINARIAE.

D. HENR. BASS publice praesentet *Oculorum affectus* d. Mercur. & Saturn. hor. X. priuatim auspicabitur *Chirurgiam manualementalem* cum instrumentorum & fasciarum apparatu hor. III. 2) *Pathologiam generalem* hor. II. 3) *Venereos exponet affectus* hor. XI. Initium lectionum erit 16. Maii.

IO. GOTTLÖB KRÜGER 1) publice *Physiologiam* cum *Hygieine* coniunctam, omnibus ad sanitatis conseruationem scitu necessariam, ad ductum libri eum in finem a se conscripti, cui titulus: *der Natur-Lehre zweyter Theil* docebit. 2) *priuatim* hor. 5-6. *Physicam dogmatico-experimentalem* secundum ordinem proprii systematis denuo explicare suscipiet. 3) *Pathologiam Baerhaauio* duce explicabit. 4) *Mathesim puram Perillustrem* WOLFIVM secuturus & 5) *Mathesim applicatam eodem* duce demonstrabit. *Horae* his acroasibus destinatae e *valuis publicis* significabuntur.

D. HENRICVS CHRISTIANVS ALBERTI Deo benedicente per hoc semestre aestiuum priuatis horis explicationes botanicas i. e. doctrinam de plantis quoad genera & species pertractabit, quo instituto plantas circa Halam nostram potissimum prouenientes cuiuslibet speciei, quantum fieri potest, recentes demonstrabit. Imprius autem operam dabit, ut plantas sic dictas officinales earumque qualitates medicamentosas, vires & vsus, breui commentatione indicet: nec minus cognitionem nonnullarum exoticarum & rariarum, quae quidem in hortis nonnullis summa cura coluntur, plantarum, suppeditabit, ut studium hoc inde saltim euadat iucundius. Publicae autem Lectiones explicandis & praesentendis reliquis Physiologiae partibus sunt destinatae. Initium harum Lectionum ex *valuis* erit indicandum.

D. IVSTVS ISRAEL BEYERVS, Phil. Prof. singulari industria S. S. T. T. Minorum Studiosorum commoda litteris elegantioribus promouere studebit; ideoque *collegia*, quae uocant, *oratoria*, *epistolica* in lingua uernacula, consueto tempore aperiet; nec iis deerit, qui *carmina* germanica, *epistolas*, *orationes*, seorsim hac uel illa occasione ab eo desiderabunt.

P. P. die X. April, MDCCXLVI.

Hala Magdeburgica, TYPIS HENDELIANIS.



postquam feliciter obtinisset, Examinibus pro more Facultatis Nostræ exantlatis Disputatione
secunda de *Thejibus quibusdam Miscellaneis* conscripta & publice defensa *Licentiam* summi inter nos
Honoris accepit. Qui cum ad diem 18. Februarii horamque Matutinam 9. his *quatuor Dnm. Can-*
didatis, ut actu conferatur, decretus sit: Nos ex omni Ordine atque Facultate Patronos, Fauto-
res, ac Cives nostros officiosissime invitamus. P.P. sub Sigillo Facultatis Dominica Sexa-
gesimæ Anno M. DCC. XVI.



CELEBRABITUR HIC ACTUS,
RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICO,
Viro Summe Reverendo, Amplissimo atque Excellentissimo,
DN. JOH. CHRISTOPHORO PFAFFIO,
S.S. Theol. Doctore & P.P. Famigeratissimo, Ecclesiæ Tubingensis
Decano, & Illustris Stipendii Superintendente Gravissimo.

CANCELLARIO UNIVERSITATIS EMINENTISSIMO,
Viro Reverendissimo, Amplissimo & Excellentissimo,
DN. JOH. WOLFGANGO JÆGERO,
S.S. Theol. & Controversiarum Professore longe Celeberrimo, Sereniss.
Würtemb. Ducis Consiliario, Generali Superintendente & Cœnobii Adel-
bergenfis Abbate Gravissimo.

FACULTATIS DECANO SPECTATISSIMO,
Viro Nobilissimo, Excellentissimo, Experientissimo,
DN. ELIA CAMERARIO, Med. Doct. & P. P. O. celeberrimo;
Sereniss. Ducis nostri Archiatro fœlicissimo.

PROMOTORE,
JOH. ZELLERO, Med. D. ac P. P. O. Sereniss. Württemberg. Ducis
& Oetingiæ Principis Consiliario & Archiatro.

Literis HIOBI FRANCKII.

